

ORATIO

A MAXIMO BENELLIO HABITA IN ECCLESIA REGIEN: IN FVNERE

FRANCISCI MARTELLI

EPISCOPI REGIEN: ET PRINC:

XV. KAL. APRILIS M.D.LXXVIII.



Herculianus Bartholus Excudebat Regij.
De licentia Superiorum.



VXIT nobis, Ciues Optimi, Apostolorum numerũ, nouus Apostolus (dux enim mihi sermonis sit Gregorius Philosophus) qui iã tum in Apostolorum numerũ cooptatus esse creditur, cum ad Põtificis munus in hac ciuitate obeũdum missus est: & cum post muneris functionẽ ad cœlestem Hyerusalem euectus, corona immortalitatis donatus est, cæpit inter Apostolos iam fulgere, ac vna cum eis super duodecim sedes collocatus, tribus Israel iudicaturus, secundum filii hominis aduentum expectare. Nam sancti morib⁹ similem ad se ꝑtraxerunt: corde puri animo castum ad Angelos deduxerunt: æternæ sapientiæ ministri præconem veritatis ad verbum principii expers suspiciendum euexerunt. Verũ Põtifex quidem noster Apostolici contubernii, & diuinitatis spectaculi nomine beatus hẽndus est, cum iam id, quod expetebat assecutus sit; Nos vero tali parente orbati omnium miserrimi censendi sumus. Illi certe melius erat dissolui, & esse cum Christo; at nobis acerbum est, & permolestum paterno præsidio, & patrocinio carere; & Ecclesiæ luctuosum ornamento, & decore pręcipuo priuari. Ecce enim tempus adest, quo consueuerunt homines expiationis sacramento cõtractas criminũ maculas abluere, & summo Deo reconciliari; & is, qui medius inter nos, & Deum constitutus, nos ferè manibus apprehensos cum illo coniungebat, solus ad cœlum profectus est. Ecce tempus illud adest, quo patres Domini nostri passionis, resurrectionisquè memoriam celebrari voluerunt, ac multa per Pontifices peragi, quæ alii Sacerdotes exercere nequeunt;

& Ecclesia nostra, tanquam sola,& penitus derelicta, in lacrymis, & squallore posita est. Vellem in aliquam speculam ascendere, & vocem eiusmodi emittere, quæ dolorem nostrum non huic tantum Ciuitati, sed toti etiàm Italiæ, si fieri posset, patefaceret; posteaquàm quò magis miserias nostras explicamus, cò maiorem consolationem manciscimur;& qualem virum amiserimus, etiam remotissimis gentibus indicamus; quandoquidem fletus noster,& dolor facile excusari potest, cum non sine causa eum à nobis susceptum esse omnes intelligunt. Faciam certe quod potero, tentabo paucis verbis mores,& vitã tanti Pontificis adumbrare, vt perspiciatur, non modo nos eius obitu meritò affligi, & cruciari, sed cœlum etiam tanto illustratum ornamento gaudere; penitusquè nobis compertum sit, illum ad sublimiorem patriam migrasse, vt beatus effectus laborum præmia reportaret. Tam ardui vero laboris est, huius viri encomium contexere, vt non solum me, qui neque vsu satis,& ingenio parum possum, cõfundat, sed disertissimos, & in dicendo maxime exercitatos defatigare possit. Ne expectetis itaque, vt ea omnia, quę dicenda erant, eloquar. illa enim sola mea prosequeẽ oratio, quæ & tempus patietur, & vires ferent, ac memoria suppeditabit. Et quidem peruulgata illa, quibus humi defixi homines efferri solent, prætermittam, patriam scilicet percelebrem, parentes integritate insignes, familiam nobilem, & splendidam, corporis naturales dotes; quę omnium oculis exposita patent, & sancti viri cõtemnunt, ac mũdi sapientes nulla laude digna esse censent; cum aliorum potius, quàm nostra esse dicanẽ: quid enim honoris inde consequitur, quia Marcum, qui summorum Pontificum quęsturam sępius exercuit, patrem

trem habuerit,& ex Catherina fęmina primaria ex nobilissima Taculorum familia orta, natus sit; cum Deum verum patrem agnoscat? Quomodo non ferè turpe est velle eum laudare, quòd eius propinqui, & agnati fuerint, Franciscus alter huius Ecclesię Canonicus,& aliis ecclesiasticis dignitatibus ornatus, & agnati honestissimi adhuc Florentiæ in maximo dignitatis loco positi; cum fratres, & cognatos numeret Apostolos, & alios sanctos regni æterni heredes? Quis erit tàm expers iudicii, vt illum gloriari arbitret̃, ꝙ in hac ciuitate natus sit antiquitate, nobilitate, & rebus gestis nulli ferè alii inferiore; cum Hyerusalem cœlestem pro vera patria agnoscat? Quod igitur ipsius proprium est, in virtutibꝰ, honestis studiis, & laude dignis actionibꝰ semꝑ ita versatus est, vt eius splendor totam Italiam, ac Germaniam illustrauerit, summis Principibus semper charissimus extiterit, & amplissimos honores consecutus, æternum patriæ nostrę ornamentum pepererit. Nam cum primum extremæ pueritiæ annos ingressus est, tàm legum, quàm aliarum facultatum disciplinam tanto studio complexus est, vt vix vigesimum primum annum agens subtilissima problemata publicè disputãdo in hoc loco tutatus sit; & mox cum ingenti non modo Iurisconsultorum, sed totius etiàm Ciuitatis applausu, Iurisconsulti dignitatem suscepit. Ex quo factum est, vt cum tàm scientiæ, & ingenii, quàm innocentiæ, integritatis, & aliarum eius virtutum fama Romam ꝑuenisset, & iam in diuinarum etiam rerum studiis ita ꝓcessisset, vt cum quocumquè eruditissimo, ac disertissimo viro posset differere; Vgo Rangonus Regien. Episcopus à Clemente vii. Pontifice Max. electus, vt in Germaniam Legatus proficisceretur, hæresum causa, quæ illam prouinciam penè

penè totam infecerant, haberetquè poteſtatem ſanctitate, & doctrina præſtantes viros, quos elegiſſet, ſecum ducendi, neminem ipſi Franciſco Martello præferēdum duxerit. Nam vt erat acerrimi iudicii, & acutiſſimi ingenii vir, perſpexerat duo potiſſimum in eo exigi, qui eſſet cum hæreticis diſceptaturus, doctrinam ſcilicet cum eloquentia coniūctam, & honeſte vitam actam, cui nihil turpitudinis obiici poſſet; in quorum vtroque ita excellere Franciſcum cognouerat, vt is ſolus eius deſiderio ſatisfacturus videretur; virtute itaque, ſcientia, prudentia, & dexteritate eius viri effectum eſt, vt multi, qui ab orthodoxa fide, & Eccleſia Romana defectionem parabant, in officio retenti ſint; & nonnulli Principes, qui hæreſis venenum hauſerant, ad ſanitatem redierint. Quamobrem Summus Pontifex, vt Vgonis tantorum meritorum magnitudinem aliquo inſigni beneficio remuneraret, illum Vrbis p̃fectum deſignauit, tradēs ei totius ciuitatis Romanæ adminiſtrationem, q̃ agnoſcens id totum ipſi Franciſco acceptum ferendum eſſe, cuius innocentia, & doctrina totum Germaniæ negotium illi ex ſententia ſucceſſerat, eum auditorem elegit. Quod officium nemo prius obtinuerat, qui ætate iam non valde proceſſiſſet; cum ſumma negotia, ac numero ferè infinita ab illo cognoſci, ac perfici ſoleant. Ita vero ſe geſſit, dum illo munere fungeret̃, vt odioſum alioquin officium populare effecerit, ac ſummorum hominum beneuolētiam ſibi conciliauerit. Cum autem aliquot annos illum magiſtratum geſſiſſet, Regium reuerſus eſt, tùm vt vires corporis ſui aſſiduis laboribus penè deſtructas reficeret, tùm vt quieto animo ſacrorum Canonum, & rerum diuinarum ſtudia intermiſſa recoleret. Sed hac quieta vita perfrui breuiſſimò

tempo-

tempore permissum est, non poterat enim tanti viri splendor, & dignitas in tenebris delitescere, oportebatq; hominem ad alios regendos natum in muneribus publicis continenter versari. Nam cum Baptista Grossus ad huius Ecclesiæ gubernaculum ascendisset; auctoritate, & precibus Franciscum induxit, vt Vicarii munus obiret, cum præsertim eo tẽpore vix vnquàm posset ipse diuersis negotiis impeditus in ciuitate, vel diœcesi habitare. Accidit deinde, vt Ludouicus Beccatellius à Iulio iii. Pontifice Max. Venetias Legatus mitteretũ, & hic quoq; tum demum aliquid laude dignum se effecturum sperauit, si Franciscum sibi adiunxisset, ipso summis precibus vix impetrato (perdifficilem enim se præbebat Episcopus in illo dimittendo) tàm bene illi negotium successit, vt & non mediocre premium legationis reportauerit, & Franciscus ipse in maxima tùm Romæ, tùm Venetiis existimatione fuerit. Dumquè Regium reuersus iterũ Epicopi Grossi vices gereret, eius virtutes admiratus Hercules II. Ferrariæ Dux eum ad se vocauit, vt ciuitatis illius Pontificatum administraret Aloysio filio adhuc in primis adolescentiæ annis constituto com missum, & mox cum idem Aloysius in amplissimum Cardinalium collegium cooptatus esset, Franciscum apud se in summo honore habuit. Nam, & eius consilio in rebus grauioribus vtebatur, & cum ipso res magis arcanas, & maioris momenti communicabat; donec Alphonsus frater Serenissimus Dux ad illum dignitatis gradum ipsum extulit, quo nullum maiorem Principes habent, quo scientia, & innocentia insignes viros cohonestent. Nam in consilium illud cooptauit, in quo grauissima omnia totius huius Imꝑii negotia tractari, & explicari consueuerunt. Tantum enim

illius

illius prudentię,& integritati tribuebat,vt putaret tum demum populos sibi subiectos fœlices fore,si huius viri consilio regerentur; sæpe eius opera tùm Romæ apud Pontifices, tùm Venetiis apud illam Rempub. ità fœliciter vsus est, vt non potuerit non semper de tanti viri ornamentis cogitare. Quare operam dedit, vt Pius V. summus Pontifex ad Carpensis Ecclesiæ regimen illum eueheret, qui etiàm prius Ragusii Archiepiscopatum illi obtulerat. Hìc vero adeò eius sanctitas resplenduit,vt ad aures Gregorii,q; nūc Ecclesiæ Dei pręsidet,& prius etiàm illius integritatem planè nouerat,illa peruenerit,qui cupiens virtutes tantas non in vnius oppidi ambitu contineri, sed latissimum habere campum, per quem discurrerent, Ciuitatis huius Episcopatum longe,latequè diffusum, ac Prouincię potius,quàm diœcesis vnius ciuitatis similem, permultis insignibus oppidis, & amplis regionibus illustrem, eius fidei commisit; sperans tàm Ciuitatem, quam illi subiecta loca maximam ex eius gubernatione vtilitatem perceptura;nec eum spes, quam cōceperat, fefellit. Nam vt primum ciuitatem Franciscus attigit,paruam tùm ætatis iam prouectioris,tùm imbecillæ corporis constitutionis rationem habens, diligenter spectare cæpit, quæcumquè lapsa remedio indigebant; atq; ea charitate potius paterna, quàm grauioribus verbis correxit,& ad veterum patrum normā reduxit;vitia,si quę in clero erant,se ipsum exemplum prębens,cohibuit; operam dedit, vt diuini ritus eò quò debebant modo perficerentur; curauit, vt Sacerdotes non minus doctrina, quàm vitæ honestate splenderent; ac in primis, vt noua semper germina crescerent,quorum virtutes, & scientiæ opportunos fructus huic Ecclesiæ suppeditarent: laborauit, vt clerici

rici

rici rectè instituerent, & in sanctis, honestisquè disciplinis exercerent; valdequè gestiebat, cum videbat eos proficere, quamuis eius ætatis esset, vt nũquàm speraret se fructus inde profecturos in terra degentem spectaturum. Iã quàm liberalis in pauperes fuerit, quàm remotus ab omni cupiditatis labe, thesauri, quos in cœlo collocauit potius, q̃ hic cumulauit, testant; lustrauit diœcesim suam cum maximo incommodę valetudinis periculo, & parua habita prouectioris ætatis ratione: cultum Dei, & Sacerdotum officia in omnibus eius partibus restituit: templa, vel collapsa, vel ruinam minantia construi, ac resarciri curauit: pluraquè duobus annis, quibus hanc Ecclesiam rexit, quàm alius qlibet longissimo effecisset spatio, transegit. Cum eius actiones memoria repeto, & postea sanctorum Pontificum gesta contemplor, in eam necesse est mihi venire opinionem, vt illum credam vitæ integritate, & erga Deum pietate nemini illorum concessisse. Laudantur Augustini contra hæreticos reportatæ victoriæ; Ambrosii in defendenda Ecclesię libertate animi magnitudo; Basilii in summis diuitiis paupertas, carnis integritas, ac dulcis facundia; Chrisostomi acer animus, & variis aculeis prædita oratio, ad profliganda auditorum vitia prorsus accommodata; Athanasii in orthodoxa fide defendenda constãtia, & laborum, periculorumquè perpessio; Hilarii, quam inimici etiàm fidei suspiciebant, grauitas, & apud omnes auctoritas; Maximi in afflictos homines commiseratio, ac promptè, dùm offerebatur occasio, auxilium exhibitum; Prosperi in eos qui deliquissent, summa clemẽtia, & propriarum iniuriarum contemptus. Franciscus vero noster ea omnia ità propria efficere studuit, vt nihil fuerit, in quo non excelluerit. Nam

B prudena-

prudentia non recte de fide ſentientes inueſtigauit; doctrina refutauit; exemplo, & auctoritate in recta opinione con firmauit: Eccleſiis,&Sacerdotibus honorem,ac libertatem debitam conſeruauit; vitia repreſſit; ità diuitias ſpreuit, vt nemo vnquàm illo extiterit liberalior; voluptatum illecebras domuit;nullum pro grege ſuo periculum vnquàm recuſauit;calamitates hominum deplorabat,& quam poterat eis faciebat medicinam; ſummum patrem imitatus, libenter pœnas illis condonabat,qui poſt crimina perpetrata ali quam vitæ emendandæ ſpem oſtendebant; cauebatq; præſertim, ne illos pœnis afficeret, qui in ipſum deliquiſſent.
Bonum itaquè certamen certauerat, ac tempus aderat,quo eum ſummus Iudex ad coronam accipiendam vocaret,ſed oportebat diuina officia, aſſiduas preces,exemplum nobis exhibitum diſſolutioni corporis ſui cauſam prębere. Dum itaquè quotidie ad templum proficiſceretur, ſacra faceret, ac publicas horas canonicas audiret, aere maxime turbido, ac corporis ſui habitudini vehementer contrario exiſtente, leuem morbum contraxit, ac poſt paucos dies omnibus ſenſibus integris,ſacramentis perceptis,nullam moleſtiam ſentiens,animam Deo, qui illam condiderat, & redemerat,tradidit;magna eo tẽpore, & admiranda res contigit;nam,cum iam nihil loqueretur,& reſolutio ipſa inſtaret, ſubitò ſoluta lingua,vox audita eſt, hãc eccleſiam Deo cõmendans, & ſimul eidem animam propriam cõmittens: ex quo cognitũ eſt, illum ad perfectæ charitatis culmen ita aſcendiſſe,vt nõ minus nos omnes, quàm animã propriam dilexerit; quandoquidem extrema eius verba æquè vtraq; Deo cõmendauerunt. Et ille quidem ad Apoſtolorum cœtum cõmigrauit; nos verò omnes in lacrymis, ſqualore, &
gemitu

gemitu positos dereliquit adeò, vt sicut nullũ maius gaudium vnquàm nobis contigit eo, quod percepimus, cum Põtificem nostrum illum factum esse intelleximus, ita nullus magis funestus dies illo extiterit, quo corpus eius exangue in templo positũ conspeximus. O'nobis acerbum spectaculũ, cum capite nr̃o vnà adempta sunt honorata, & dignitate: præstantia ecclesiæ ornamẽta; Omnia iacẽt, omnia in tenebris versantur, oĩa mœrore confecta sunt. Vbi dulcis illa oculorũ serenitas? vbi iucundus ille, ac lepidus aspectus? vbi comis illa, & ad salutãdum facilis dextera, quę vna cum oris benedictione digitos intentare consueuerat? miseret me tui ò Ciuitas adhuc fœlix, repentinę ac subitæ huius mutationis nomine. Vt adẽptus est decor? vt detractus est ornatus? vt repẽte flos defluxit, gramen decidit, radix exarcuit? O malũ naufragium, quomodo in medio spei nostræ portu iacturam fecimus? vbi splendidũ illud velum, quod Spiritusanto semper dirigebatur? vbi tutũ, ac firmũ animarum gubernaculum? vbi immobilis, & firma sententiæ, iudiciique anchora? vbi bonus ille gubernator, qui ad cœlestem Hyerusalem nauigium deducebat? Quis dabit mihi fontem lachymarum, vt satis defleam Pastorem, Doctorem, & parentem amissum? ac vna cum eo omnes penè defecisse virtutes doleam? Sed quantuscunq; sit dolor, ac luctus noster; maius certè est gaudium, quò in cœlo Sancti exultant; quem enim nos mortalem, & humanis calamitatibus obnoxium amisimus, illi immortalem, & nulli corruptioni subiectum exceperunt; quem hæc militans Ecclesia omnino post paucos dies interiturum, citiùs quàm optabat obeuntem conqueritur, illum eumdem triumphans Ecclesia ex mundi miseriis ereptum læta complectitur.

Sed quæso, ciues optimi, nostram in terris positam, & cœlestem illam Ecclesiam vnitate coniunctam sub vno Christo capite, & reipsa indiuisam, affectu & voluntate non diuidamus; & posteaquàm æquius est nos eius voluntati, & sententiæ, quę errare non potest, quàm illam nostræ aquiescere, vna cum ipsa gaudeamus: non enim Pastorem nostrum amisimus, sed præmisimus; non ille nos dereliquit, sed pro nobis apud Deum legati munere fungitur; ac maiora Ecclesiæ huic impetrat beneficia, quàm ab eo in terris degente vnquàm sperare ipsa potuisset; ne turbemus lacrymis nostris eius fœlicitatem; sed vt veri filii, & amici, partam gloriam ei lætis animis gratulemur: lugendi nàmq; sunt illi, qui ad infernas sædes deturbantur, non qui ad cœlestem patriam, quam semper exoptauerunt, euehuntur. Quod vel imprimis Pontifici vestro contigisse, quis amplius vnquàm dubitabit? cum tàm firmiter intellectum suum iis assentiri coegerit, quę fidelibus suis credenda sancta proponit Ecclesia, vt ne diligentius quidem inquirendi gratia de illis vnquàm controuersiam haberi sustinuerit: cum charitatis ardore erga Deum, & hominesità succensus semper fuerit, vt nihil vnquàm in amore fuerit ardentius; cum virtutes omnes ità sit complexus, vt ab earum præscripto ne latum quidem vnguem vnquàm recesserit: cum se in hunc inferiorem orbem missum fuisse assiduè cogitans, non vt desidiæ se traderet, sed vt ea faceret, quę post victoriam cœleste premium ipsi impetrarent, nunquàm ociosus fuerit; sed ad extremam vsquè senectutem se tàm in diuinæ scripturæ studiis, quàm in sanctis, & omnium vtilitatem respicientibus actionibus exercuerit. Arbitror equidem tacitè Deum ipsum animos nostros in eam sen-

tentiam

tentiam inducere voluisse, vt crederēt illum iàm cum Angelis regnare; posteaquàm qui in lachrymis positi,& mœrore ferè confecti eramus, dum eum propinquum corporis dissolutioni esse spectabamus, eodē hinc discedente repentè ferè inuiti tristitiam in gaudium cōuertimus; ac eius funus duximus non veluti hominis,quem amisissemus,sed tàmquam sancti, cuius preciosas reliquias deferremus. Cui enim ignotus fuit totius populi ad pompam illam, tāquàm ad honestissimum triumphum concursus? quis non cum summa admiratione conspexit non modo viros graues, sed mulieres etiàm & pueros summa cum pietate, & reuerentia ad eius corpus in Ecclesia positum videndum, & honorandum confluere? Vbi aliqui gaudebant vestem tantum contrectare, aliqui efficere curabant, vt oraria saltem eius manibus tangerentur; illi vero fœlices videbant̄, quibus permissum erat, genua amplexari, & os, manusuè exosculari. Nemini etiàm dubium esse potest, eamdem celebritatem in cœlo contigisse, cuius vel hoc potissimum argumentum esse potest, quod cum iis diebus ægrotasset, quibus Ecclesia ob peccata commissa luget, ieiuniisquè, & orationibus operam dat, vt illis deletis ad sanctum Pascha celebrandum se prę̨pararet, illo die animam Deo tradidit, quo eadem Ecclesia interim mœrorem deponit, dum ciuitatis sanctæ lætitiam prædicat, nosquè omnes ad gaudium excitat. Nec sine causa factum est, vt ille dies, alio etiam ornamento splenderet, cum quadraginta militum martyrio esset consecratus, quos à Deo impetrasse crediderim, vt ipsorum celebritati hunc decorem adiūgeret, vt quo die ipsi mortem pro Christo obierant, eodem Pōtifex hic sanctissimus sarcinam corporis deponeret, vt spiritus ad eun-

dem

dem Chriſtum euolaret. Habes ò ſacrum & venerandum caput, quod extremum tibi in hac Eccleſia debebatur officium à me præſtitum, ſermone quidem miras tuas virtutes non aſſequente, ſed à beneuolentia tamen ſingulari proficiſcente: oportebat enim, vt quos tamquàm nouos Eccleſiæ flores excolebas, ac ad id eruditionis perducere cupiebas, vt poſſent in Eccleſia tua ſermonem habere, vni ex eis te ipſum ſermonis argumentum præberes: quem tibi gratiorem fore arbitror, quàm ſi corpore adhuc circundutus illum hic audires: cum ſupra nos poſitus, nos melius intuearis, & maiore igne charitatis erga nos exardeſcas. Impetra nobis à Deo tui ſimilem Paſtorem, quod ſi preces tuæ ſufficere non videbuntur, adhibe tecum Proſperum, & Maximum, qui eandem Eccleſiam rexerunt; vt ſicut illorum precibus effectum eſt, vt te Paſtorem habuerimus, ità eiſdem cum tuis coniunctis, alium Pontificem animæ tuæ imaginem referentem nanciſcamur.

Explicit Oratio.

